

6 Lenitati in excessu opponitur Iracundia,
qua homo in irascendo modum excedit.

S C H O L. Græcè dicitur ὄργιλότης. Ira Græcè ὄργη, affectus est seu πάθος, Iracundia verò est habitus ex crebris irascendi actibus contractus. Iracundia igitur est, quum præter morem seu plus æquo iræ indulgemus, quod ex animi impotentiâ oritur. Ejus duæ potissimum differentiæ sunt. 1. Quidam sunt ὄργιλοι, vel ἀκρόχολοι, qui citò & facile irascuntur, sed iram non diu sustinent; qualis ira esse solet in generosis & heroicis animis, juxta illud Ovidii:

*Quo quisq; eſt major, magis eſt placibilis ire,
Et faciles motus mens generosa capit.*

Causa hujus rei est in spirituum promptitudine ad utrumque. 2. Quidam sunt πικροὶ & χαλεποὶ, qui iram conceptam diutissimè fovent, nec antè deponunt, quām vel ultionem sumpserint, vel temporis diuturnitate concoixerint, & hi illis sunt longè peiores, nec talis ira in generoso animo, sed in crudeli & truculento habitat, juxta illud ejusdem poëtæ:

*At lupus eſt tristes instant morientibus ursa,
Et quacunq; minor nobilitate fera eſt.*

Alii iracundiam dividunt in tres species, 1. ἀκροχολίαν, excandescientiam, quæ etiam δένθυμία dicitur, quando ira est subitanea, & citò defervescit. 2. πικρότητα, amarulentiam, quando ira tardius concipitur, sed semel concepta diutius fovetur, donec vel per vindictam, vel per temporis diuturnitatem exspiret, hinc πικρόχολοι. 3. βαρυθυμίαν, asperitatem, quæ absq; vindicta nullo modo sedari potest. Iracundię exemplum habemus Gen. 34. v. 7. & 25. in filiis Jacobi propter vitiatā sororem Dinam, & passim. Wenceslaus Bohemix rex, Caroli quarti Imp. filius, verbo ministri offensus, iracundiā adeò insanivit, ut ē mensā consurgens arrepto pugione amicum interfecerit, ut refert Æneas Sylvius lib. 1. comment. de rebus gestis Alphonsi. Hominē iracundum graphicè depingit Virgilius in Turno passim in posterioribus lib. Æneid. & in primis in principio octavi.

D 3

*Differentiae
Iracundiæ.*

*Divisio ira
cundiæ in
tres species.*